

✠ 3 ✠

testes. Quis enim exilia? quis fustigationes? quis mortem patere-
 retur? si necessarius non esset veræ religionis haud fucatus amor
 & propagandæ in Ecclesia intemeratæ veritatis studium. Nec
 minores veritatis cœlestis defensores extiterunt Doctores ætate
 alioquin minores, qui Ecclesiam à clanculariis & erroribus & do-
 ctoribus Zwinglianis aliisq; liberarunt. Premamus ergo ipsorum
 vestigia, premamus inquam, ut & nos victoriæ præmium deportem-
 us. Atque hoc consilio utens præsentem Disputationem sum ag-
 gressus, in qua nonnullas quæstiones de adiaphoris in communi
 vita occurrentibus, easdemque per aliquot tempus vehementer
 controversas placidè sum examinaturus, non rixandi, sed unicè
 veritatis indagandæ causâ. Minimè autem propriis hoc negotium
 ordior viribus, sed ad divinæ Majestatis thronum provolutus ar-
 dentissimis à Summo rerum omnium Moderatore contendo preci-
 bus, velit gratiam Spiritus sui sanctissimi in me largiter effundere,
 quæ in omnem me ducat veritatem, ne aliquid à me vel defendatur
 vel asseratur, quod aut à veritate alienum, aut bonis moribus
 contrarium sit. Jubeat hoc Divina Benignitas pro immentia sua in
 miseros nos propensione, Amen.

SECTIO I. GENERALIS.



§. I.

IC Sancti Spiritus gratiâ confirmatus
 ad rem ipsam hilari me accingo ani-
 mo, & omnium primò verbis, quan-
 tum fieri poterit, brevissimis, aliquã
 hujus controversiæ Historiam sum
 præmissurus. Cum verò, dum bre-
 vitati studemus, universam Pietismi
 Historiam quoad omnes ejus partes
 dimetiri atq; describere non possim, contentus erit B. Le-
 ctor, si ea solum adducta fuerint, quæ ad scopum hujus Di-
 sputationis præprimis faciunt. Cognitum proh dolor! atq;
 exploratum est maximo cum Ecclesiæ Christi damno, quo
 pacto elapsis vix 14. annis, aliquod hominum genus, pietatis

Az

pro-